



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Meditatio ad amorem Christi, 24

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

2. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem meam venerit; quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi & lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus sum Christo, si eum amavero. Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intravi, & ibi requiesco securus. Qui timet, amet: quoniam charitas foras mittit timorem. Nullum tam potens est, & tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quam mors Redemptoris mei. Extendit brachia sua in cruce, & expandit manus suas, paratus in amplexus peccatorum. inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori cupio. Ibi securus decantabo: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Salvator noster caput inclinavit in morte, ut oscula daret suis dilectis. Toties Deum osculamur, quoties in ejus amore compungimur.

C A P V T XXIV.

Meditatio anima ad amorem Christi.

I. **O** Anima mea, insignita Dei imagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum Angelis! Dilige illum, à quo tantum dilecta es. Intende illi, qui intendit tibi. Quare quarentem te. Ama amatorem tui, à quo amaris: cujus amore præventa es, qui est causa amoris tui. Ipse est meritum, ipse præmium, ipse fructus, ipse usus, ipse finis. Esto sollicita cum sollicito, cum vacante

te vacans, cum mundo munda, cum sancto sancta. Qualis apparueris Deo, talis oportet ut appareat tibi: Deus suavis & mitis, & multæ misericordiæ, suaves, mites, dulces, humiles & misericordes requirit. Ama illum, qui eduxit te de lacu miseriæ, & de luto facis.

2. Elige illum amicum tuum præ omnibus amicis tuis, qui, cum omnia subtracta fuerint, solus tibi fidem servabit. In die sepulturæ tuæ, cum omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquet: sed tuebitur à rugientibus præparatis ad escam, & conducet te per ignotam regionem, atque perducet ad plateas supernæ Sion, & ibi collocabit te cum Angelis ante faciem maiestatis suæ, ubi audies illud Angelicum melos: Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Ibi est canticum lætitiæ, vox exultationis & salutis, gratiarum actio, & vox laudis, atque Alleluja in perpetuum. Ibi est cumulus fœlicitatis, supereminens gloria, superabundans lætitia, & omnia bona.

3. O anima mea, suspira ardentem, desideria vehementer; ut possis pervenire in illam supernam civitatem, de qua tam gloriosa dicta sunt: in qua, sicut lætantium omnium habitatio est. Amore potes ascendere. Amanti nihil est difficile, nihil impossibile. Anima quæ amat, ascendit frequenter, & currit familiariter per plateas cœlestis Hierusalem: visitando Patriarchas & Prophetas, salutando Apostolos, admirando exercitus Martyrum & Confessorum, chorosque Virginum

speculando. Cœlum, & terra, & omnia quæ in eis sunt, non cessant mihi dicere, ut amem Dominum Deum meum.

C A P V T XXV.

Nihil potest anima sufficere præter summum bonum.

1. **C**Or humanum in desiderio æternitatis non fixum, nunquam stabile potest esse; sed omni volubilitate volubilius, de alio in aliud transit, quærens quietem ubi non est. In his autem caducis & transitoriis, in quibus ejus affectus captivi tenentur, veram quietem invenire non valet, quoniam tantæ est dignitatis, ut nullum bonum, præter summum bonum, ei, sufficere possit: tantæ est libertatis, ut in aliquod vitium cogi non possit. Propterea, unicuique propria voluntas est causa suæ damnationis vel salvationis; & ideo nihil ditius bona voluntate Deo offertur. Bona voluntas Deum ad nos deducit, & nos in eum dirigit. Per bonam voluntatem Deum diligimus, Deum eligimus, ad Deum currimus, ad Deum pervenimus, & eum possidemus.

2. O bona voluntas, per quam ad Dei similitudinē reformamur, & ei similes efficimur. Ita amabilis est Deo bona voluntas, ut ipse in corde habitare non velit, in quo bona voluntas non fuerit. Bona voluntas, illius summæ majestatis Trinitatem ad se inclinat. Sapientia namque ad cognitionem veritatis illam illuminat: Caritas ad desiderium bonitatis inflammat; Paternitas in ea custodit quod creavit, ne pereat.

C A-